

canicularis nec est, nec appellari potest annus popularis simplex; sed periodus tantummodo magna 1461 annorum: quæ sola ab ortu caniculæ profecta, ad eundem post annos totidem revertitur. Deinde quia planissima mens est Pliniani illius loci, in quo, tamquam in pice mus, iste Criticus implicatus hæret. Sed illius rationes aufcultemus. Nulla, inquit, apud Ægyptios intercalatio fuit. tum, ut aliqua fuerit, ea non in ortu caniculæ fiebat, sed in fine periodi, ante ortum caniculæ, qui initium præbebat sequenti periodo. nec intercalaris ille annus principium ejus lustris, sed finis. His de causis voces illas, *intercalari anno*, mutat, legitque in *canario anno*. Verum & *intercalari anno* scriptis omnino Plinius, vel *intercalario*; ut in scriptis quibusdam exstat, atque ex vetustissimo codice adnotat Guil. Peliferius Episcopus Montispessulani: & quæ à Salmasio sunt objecta facile dissolvimus. Non enim animadvertit, loqui Plinium de Eudoxi quadriennio, in quo annus unus intercalaris est; qua ratione ab Ægyptiorum tetraeteride discrepat. Hujus ergo lustris, in quo semper unus intercalaris est annus, principium ab ortu caniculæ ducitur. Quare hæc verba, *semper intercalari anno*, parenthesi includenda sunt. Ac nescio an non pro *anno* legendum sit *uno*, ut in eo loco citando sciens an imprudens edidit Salmasius. aut etiam utraque admitti dicitur debeat; ut ita concipiatur, *semper uno intercalari anno*. Alioqui subaudienda vox est, *uno*. Ex quo insuper efficitur, Octaeteridem Eudoxi non à bruma, ut Scaligerum fecutus opinatur Salmasius: sed ab ortu Caniculæ, aliquanto post Solstitium, incidisse. Eat nunc, & egregiam suam conjecturam vocet: in qua perpetuum *ἀεγυπτίου* sui monumentum constituit.

Postremo nec illud prætereundum est, annum apud Ægyptios triplici ratione nuncupari. Nam est annus parvus, sive simplex, & mediocris annorum quatuor, & magnus annorum 1460. De primo, & tertio perspicua res est. Secundi usus & appellatio non ita frequens. Unus, quod meminerim Horus Apollo monuit, cujus verba cum ex Lib. II, cap. LXXXIX citat Scaliger Itag. Can. pag. 244; nos in editione Parisiensis novissima Hori Apollinis frustra capite illo requirebamus. Sed in Hescheliana isto ipso capite reperimus. Ibi Horus at Ægyptio hominem significare volentes, qui plenam ætatem exegerit, cornicem pingere. *ἀνὴρ δὲ τῆς ἰσχυρῆς καὶ ἀπηνείας, ἢ δὲ ἐκ τῆς κατ' ἀπηνείας μορφοῦνται. Centum annos, ut aiunt Ægyptii, vivit cornix. annus autem apud illos quadriennium est. Sed hunc annum ἀπηνείας μακρὸν esse dictum, falso ex verbis arbitratus est Scaliger: uti nos Lib. III de Doct. temp. cap. II disputamus.*

CAPUT VI.

De anno Ægyptiaco, & caniculari. Censorinus illustratur: ac falsa de anno magno Salmasii conjectura discutitur. Plinii locus male ab eodem acceptus.

QUAMVIS anni Ægyptiaci caput laxatis in anteriora franis libere vagaretur, nec in Solaris anni ac Juliani ulla parte consisteret: huic tamen limites velut aliquis terminusque præstitutus est, à quo tamquam à carceribus emissus, ad eundem post longum errorem rediret. Fuit hic Ægyptiorum veterum usu & instituto Sothios exortus (Est id caniculæ sidus;) à quo magna, uti diximus, annorum 1461 periodus inibat, quæ propterea *Sothiaca*, vel *canicularis* dicitur. Ea tum igitur incipere putabatur, cum in eum diem, quo sidus illud oritur, Neomenia primi mensis incidebat. Hoc verò non eodem perpetuo tempore contingit: propter octavæ sphaeræ, in quo stella ista defixa tenetur, continuum *εἰς τὴν ἰσχυρὰν* progressum: qui annorum circiter LXXII spatio tricesimam dodecatemoriam unius partem conficit. Ita fit ut quæ stella, exempli causâ, ante plures annos certo in signiferi situ collocata fuit, paulatim ab eo digressa longius recesserit; atque aliis deinceps, & aliis temporibus oriat. Lucida Pleiadum hoc sæculo, id est anno Christi MDCC in gradu Tauri confuit 24, 24'; ex Tychonis abaco. At Virgillii sæculo, nimirum anno primo Juliano, Tauri circiter gradum secundum obtinebat. Ita Sirius, sive Canicula, quæ hoc tempore in gradu Cancræ circiter 9 statuitur;

cum situm suum in Zodiaco; tum in anno Juliano ortus sui tempora commutavit. Annis, ut jam dictum est, duobus & septuaginta stellæ uno gradu promoventur. Legitur in annis 1461, quæ est Sothiaca periodus, gradibus viginti, ac triente circiter transitum in sequentia faciunt. Quod cum minus olim esset animadvertimus, in eodem hæretæ incertantium siderum ortus, occasusque credebant; ac quibus illa locis & temporibus ætate sua deprehenderant, iidem & instituisse perpetuo, & ab his nullo unquam tempore discessura esse persuasum habebant. Quod si quæ majorum observationes ad eos pervenerant, quibus diversus stellarum situs ab eo, quem usurpabant oculis, describitur esset; id observantium errori, ac vitio malebant, quam ulli celestium orbium varietati tribuere.

Ægyptiorum itaque periti, qui antiquitus ortum caniculæ notabant, ad eumque canicularis orbis initium accommodabant, hoc illi sine dubio definituræ tempus, quo eam stellam orti conspexerant. Id ejusmodi fuerit, & quamdiu in eorum opinione resederit; non est facile dicere. Nam prout ortum illius animadvertierant; ita variis diebus assignare consueverant. ex quo ingens illa, & inextricabilis de ortu Caniculæ Scriptorum diversitas, quam in Plinianis Exercitationibus ex Grammaticis suis scripsit Salmasius deprompsit. Censorinus quidem cap. XXI testis est sæculo suo caniculam a. d. XII Cal. Aug. exortum in Ægypto facere solere. Quod si quis perpetuum fuisse putet; vehementer est errat. Verum olim Ægyptii, maximèque plebs, *μετὰ τὴν ἰσχυρὰν* illam minimè discernabant. Ideo cum in certo die insigniter notatus esset ortus Caniculæ, eundem constanter ad multa sæcula retinebant.

Censorinus loco proxime citato refert ante annos centum, quam scriberet, Antonino Pio II, & Bruttio Coss. cepisse Canicularem periodum magnam, cujus annus agebatur centesimus eo ipso, quo scribebat, Christi CCXXXVIII, ut alibi declaratum est. Ideo verò periodum inde Censorinus inceptit, quod eo anno Neomenia Thoth in eundem diem incurrit cum exortu Caniculæ; nempe in XII Cal. Aug. sive diem Julii XXI, quo Canicula in Ægypto facere solet exortum. Quo in loco Censorini, vel Librarii, vel auctoris ipsius errore, XII Cal. Neomenia Thoth iniisse ponitur, pro XIII. Nam Christi anno CXXXVIII, quo Coss. illi fuerunt, Neomenia Thoth incidit in Julii XX, qui est XIII Kal. Aug. quo die Caniculæ ortus heliacus sæculo Julii Cæsaris, & insequente uno, alteròve, præter propter accidit. Nam Alexandria ortus Heliacus Sirii factus est in gradu Cancræ 26, 9', anno primo Juliano. At Carcinonis vicissimæ sexta dies cecidit in Julii XX. Hoc verò *καταπύριος*, & *δολοφειδής* intelligendum est; si diebus singulis singuli gradus imputentur. Verum anno Christi CXXXVIII, Antonino Pio II, & Bruttio Coss. ortus heliacus Sirii accuratissime convenit in Julii XX diem matutino tempore. Sole circa gradum Cancræ 25, 33' posito. idque Heliopoli in Ægypto. Stella Sirii tum in gradu Geminorum fuit 18, 16'; & ortus ejusdem Cosmicus fiebat Heliopoli in Cancræ 12, 9', quinto circiter, aut quinto Julii. Ante annos mille quadringentos, & sexaginta, quam ambo isti Consulatus caperent, admirabiliter contigit, ut in eundem diem heliacus ejusdem Sirii ortus competere, nimirum anno periodi Julianæ 3393, annis ante Trojanum exitum 137. Solstitium tunc verum commissum est Julii V, quo die insuper oriebatur ferè cum Sole Canicula in gradu Geminorum ultimo. Heliacè verò die Julii vicissimè in eundem, in gradu Cancræ 14, 5', quorum omnium calculos ex tabulis nostris exactè subduximus. Ita periodus magna Canicularis ab eodem Juliano die, & exortu Caniculæ, ad eundem diem, ortumque pervenit. Sed hoc *ἐπισημασθέν*; factum est. Non enim potest esse perpetuum. Itaque anno Christi 1598, evolutio annorum pari numero, Canicula nequaquam heliacum ortum habuit Julii XX in Ægypto, & Heliopoli; sed in gradu Leonis IX, & Augusti ferè XIX, vel XX die in anno Juliano veteri.

Hujus rei causa tam ex æquinoctiorum anticipazione, quam ex octavæ sphaeræ progressionem petenda est. Nam post annos circiter CXXXII annui cardines Solis antevortunt in anno Juliano: Stella verò post annos LXXII uno gradu in consequentia promotæ uno die descendunt in eodem anno. quo fit ut duplo celerior ferè

CAPUT VII.

De Romano anno veteri controversia verus expenditur adversus Alphonsum à Caranza.

DE Romano anno veteri ac Romano antiquissima controversia inter Romanos ipsos auctores existit, utrum decem, an duodecim mensibus constaret; ut scribit Censorinus lib. XX. Nam Junius Gracchanus, & Fulvius vetustissimi Scriptores decem mensium fuisse prodiderunt. quos Varro, Ovidius, Suetonius, alique secuti sunt. At Licinius Macer, qui Cicero nis ætate vixit, & Fenscella, qui sub Augusto floruit, ab initio duodecim mensium existisse volebant. quæ sententia nonnullis hac ætate placuit. Ea tametsi minus est quam illa probabilis, ut & visa nobis est lib. II de Doct. temp. cap. LXXXIV, tamen operæ pretium sit cognoscere, quam solidè Hispanus Jurisconsultus hanc everterit cap. XII libri de Partu, & in IV Diatribæ: ac contrariam adstruxerit.

Primum novitatis eam accusat, quæ ante mille ac septingentos circiter annos auctores habuit. Deinde firmissimo argumento utitur; quia Macrobius aliter sentit. nec non Ovidius, Livius, ac demum Joannes Rosinus. Hæc vis est demonstrationis contra duodecim mensium annum capite illo propositæ, quam in Diatriba nobis intendit Alphonsum. Præter hæc argumentorum nihil, neque reconditoris copia, cujus ostensione lectorem inducit hiantem. Sed hoc familiare est illi, qui hoc se doctorem videri putat, quod plures auctores magnos, ac minutos singillatim appellaverit. Ex quo & illa sanè magnifica vox: *Sed & alii ultra caput Scaligeri & Lydiani, per nos adducti*. Quasi ea re supra ceteros caput efferre debeat, quod Joannem Rosinum, quod Joannem Scapulam, quod alios partim doctos, partim gregarios nominatim citaverit.

Verum nonnihil tamen in antiquioribus aliis prædii habet ad causam. Nam ecce Cicero in Orat. pro Cluentio, & Seneca lib. de Consol. ad Helviam, cap. XVI; & Epist. LXIII, decem menses, & annum luctus promittunt habent: ut & Cod. Theod. L. II de secundis nuptiis. Ergo Cicero, Seneca, & Valentini temporibus in usu erat annus ille Romuli: si quid est in ista ratione ponderis. & quia Valentini & Theodosius huic anno decem menses addunt duos, ad hos Imperatores annus civilis Romanorum ejusmodi fuit. Atque hæc eo disputo, non ut opinioni isti suffragari velim. sed ut Hispani Jurisconsulti levioerem, quam pro tantis spiritibus, copiam esse monstrarem.

Qui post Numam annorum Romæ civilium genus Cap. XII non unum fuisse contendit. sed præter usitatum illum, p. 554 ac vulgò notum, alterum dierum CCCLX iis adscribit. ut, inquit, *clarè percipitur ex Cicero nis Lib. V Epist. ad Att. Epist. I. Verba Cicero nis: Pompeius autem, cum ab ceteris causis plus potest unus, quam ceteri omnes; tum quod putatur ad bellum Parthicum esse venturus. Et tamen sic nunc solvitur: tricesimo quoque die talenta Attica XXXIII, & hoc ex tributis; nec ad satis efficitur in usuram mensuram*. Si triginta dierum usura mensura est, nemo negare poterit, inquit, mensuram spatium hoc dierum numero definiti ex ejus sententia. Sed irrita est hæc collectio. Non enim Romæ, aut de Romano mense ista scripsit Cicero. Sed in Asia tum erat, & de pecunia ab Artobazane Cappadociæ rege Pompeio perfoluta loquitur, & usura mensura. quam ad Romanorum modum mensuram exactam fuisse, ejus interit monstrare, qui probare aliquid inde vellet. Ad hæc tametsi usurarum mensura pensitativa tricesimis diebus æstimata sit, non statim fit inde consequens civiles menses omnes tricesimos fuisse. Hic enim dierum numerus, propter æquabilitatem, & quod Lunari proximus est, ab iis assumitur interdum, qui lunarem alioquin, & inæqualem usu publico sanxerunt: uti supra non semel ostendimus. Alterum, quod ex Plutarcho petitur, argumentum jocularis est. Quia Plutarchus in Numâ scribit, regnantem Romulo abnormem fuisse mensuram modum; quòd Lunæ ac Solis ἀνομοίαν per id tempus ignorarent: sed hoc unum dumtaxat observarent,

Cap. XII de Partu p. 554.

Cap. XII de Partu p. 554.

Cap. XII de Partu p. 554.

Cap. XII de Partu p. 554.

Cap. XII de Partu p. 554.

Postremo quod in illis Plinii verbis, quæ produximus, ex codice veteri supplere, ac reponere se dicit, *annum ducentessimum decimum quintum*, diu est quod in editis legitur; ut in Basileensibus: Dalecampius autem ex contextu in marginem illa transtulit.

ut diebus trecentis & sexaginta constaret annus; inde concludit Alphonfus, annum CCCLX dierum ad ætatem Cæsaris Romæ civilem fuisse. Quis enim non videt? Attenderet saltem verba illa Plutarchi, cum ea perscriberet. Nam de anno Romuli loquitur, quem Numa castigavit. Jam quod Jurisconsulti sapē, vel post annum Julianum institutum, tricenarios menses usurpant, non ideo civilem hunc mensium Romanorum existisse modum efficitur: ut Alphonfus existimat. Non enim plus uno genere anni civilis potest esse, quod non semel repetendum fuit. Et ille numerus propter æquabilitatem, ac facilitatem, mensuris designandis intervallis adhiberi solet.

CAPUT VIII.

De æra Hispaniensi refellitur Alphonfi sententia. Ea vox barbata esse docetur, & ignota puriori Latinitati, tum que illius origo.

HISPANIENSEM æram in gentis suæ gratiam illustre demum aggressus est Hispanus Alphonfus: in qua non solum à Chronographis (Hæ sunt Latinitatis Alphonfinae veteres, ac deliciae) sed à ceteris aliarum artium peritis commiseri multa queritur. Ac nos adeo in Diatribæ ultimo capite potissimum appellat. Sed neque merito reprehendi ab illo sumus: & quæ de æra sua variis, ut solet idem, ex auctoribus recensuit, pleraque falsa ipsa per sese, depravatiores, quàm erant, reddidit.

Æræ vocabulum puriori jam exolecente Latinitate usurpari cœpisse, quod in L. X, cap. LXX de Doct. temp. diximus, extra controversiam esse debet. Non enim ab eo, quod est æs femininum nomen hæc æra derivavit antiquitas. Lucilii locus, quem ex Bificiola nostro corrogavit, ut & cetera argumenti hujus, Alphonfus, nihil ad rem spectat. Ibi enim non hæc æra, æra, legendum est: ut pridem eruditi homines animadvertent. quibus Bificiola subscribit. Hæc est ratio, perversa æra, summa & subducta improbat Lucilium. Frustra æram suam in istis queritat. Neminem dixi legisse me antiquiore Idacio, qui hæc æram pro summa, & numero sumeret. Nam apud Sextum Rufum pro ære brevioribus, legunt docti, ære breviori.

De Nicæno Concilio vana suspicio est. Recentioris manus est ista subscriptio: nec ulla, præsertim Græca, Concilia illius sæculi Hispanicam hæc notam agnoscunt. Aut Iudorus Mercator; aut alius popularem hæc temporis putationem addidit. Idem de Carthaginensibus Conciliis iudicium esse debet: & Leoniseptuaginta. Qui in Almagesto primam omnium æræ mentionem extitare Alphonso Caranzæ persuaserunt, si Græca potius, quàm Latina consulissent, longè aliter existimassent. Æræ quippe nomen Græcis illis inauditum fuit. Nullum est igitur vetustatis tantæ, quantum Alphonfus æræ vocabulo tribuit, idoneum testimonium, ut appareat degenerante jam in barbaricum Latino sermone primùm audiri cœpisse. Duo sunt nobis reliqua, alterum de interpretatione: alterum de origine, & institutione Hispaniensi æræ. Ortum illius referunt aliqui, quos sequitur Alphonfus Caranza, in Domitii Calvini victoriam, & triumphum: quem de Cæretanis Vasconiarum populis insignem reportavit: ut scribit Dio lib. XLVIII.

Sed, quod illorum pace dictum sit, nullo modo probari conjectura ista potest. Primùm quia si hæc esset vera, anno nono & tricesimo ante Christum, Hispaniensi æra procederet. Si quidem Domitii victoria, & contributio civitatum ab eodem Dione conjicitur in annum U. C. DCCXV, quo Coss. fuere Martius Censorinus, & Calvisius Sabinus. At certum est æram sequente anno cœpisse, Coss. Claudio, & Norbano, U. C. DCCXVI. Deinde quod, ut proximè dicebam, ab ære, femininum nomen ære defecit, illius ætatis Latinitas non patitur.

Alphonf. Caran. CXII lib. de Partu § 25.

At Caranza, ut in æram cum popularibus suis ex ingenio conferret aliquid, eam negat ab ære sibi videri dictam. sed à Calvini victoria mavult: tanquam effectu notabilis bonitatis, vel malitiæ. In quo quid sibi velit, nescire me fateor, nisi forte nomen æræ putavit aut victoriam, aut notabilem bonitatem, vel malitiam significare. quod hæctenus ignorabam. Et is ille est, qui propterea nos arguit, quod cum æræ etymologiam eriere, & deducere proposuissent, id omnino non præstitimus. Præclarum verò in hac re navavit operam Censor ille noster; qui nos docuit à victoria, vel à bonitate, & malitia æram esse nuncupatam. Atqui satis aperte unde æra nata foret exposuimus lib. X de Doct. temp. nimirum ab ære non collatio; sed à putandis simpliciter æris, ac pecuniæ summis, æram barbata, sed recepta tandem appellatione dictam videri: ac deinceps qualibet ad rerum summas, ac numerorum subductiones esse translatam, præsertim annorum, ac temporum. sic æra simpliciter idem erit ac summa, quæ proba ac legitima est originatio. Jam cur anno potissimum octavo & tricesimo ante Christum inierit, nulla fingi causâ probabilior potest, quàm quæ ibidem à nobis tradita est. quod illo demum anno Julianus annus ab Hispaniis admittus fuerit. Neque verò statim ære nomen huic annorum titulo est inscriptum. Sed id post aliquot sæcula apparet esse factum, quando æra feminino genere parum usurpari Latine cœpit.

Quod autem viri quidam docti, æras ab antiquis appellatas volunt certis numis impressas notas, quibus illorum valor exprimeretur; id mihi illius utitur non probant. Multò minus audiendus Caranza: qui ante argentæam, & auream monetam, in æris numis notas illas exaratas asserit. Beaster nos si quàm multos istiusmodi numos in scriniis haberet, aut vidisset olim, docere voluisset. Nam ex Lucilii verbis nihil tale colligitur: cum apud hunc æra neutrius esse generis, illi ipsi fateatur, à quibus hæc quæ de æra disputat, universa descripsit.

Rifimus & Alphonsum illud ἀλαζονεία, qui strenuam Hispanorum virtutem, & tenaciorē adprehensionem, de Patre & superiores animos ex eo prædicat, quod ritum, & rationem anni novæ ab Romanis inducti seruis admiserunt, & æræ simul nomen tanto tempore retinuerunt. Ita conceptum hoc elogium est, ut dignum sit, quod ad perenne gentis decus saxis, & marmoribus incidatur.

CAPUT IX.

De anni Romani castigatione Juliana falsa in Epiphaniæ Animadversiones Salmasti disputatio refellitur: ac Solinus male ab eodem explicatus, & correctus exponitur.

ECCĒ iterum Crispinus, & est mihi sæpè vocandus Ad partes.

Salmastius in Pliniani Exercitationibus, quarum negotium est conviciari, & maledicere omnibus, de anno Romano tam vetere, quàm qui Confusionis ultimus à Macrobio, vulgò Confusionis simpliciter dicitur; strenuè hallucinatur, ut solet. cujus fracti impetus in Animadversiones Epiphaniæ imprimis retundendi sunt.

Solinus (inde enim profecta lis est) castigationis Julianæ modum explicans capite secundo, ac sine suo, sive librorum vitio depravatus, rem dicit absurdam; Cæsarem, ut superioris temporis turbationem incidere, dies XXI, & quadrantem intercalasse. Verba Solini; Itaque C. Cæsaris universam hanc inconstantiam incisionum turbatione composuit. & ut statum certum præteritis acciperet error, dies XXI, & quadrantem simul intercalavit. Quo pacto regradati menses de cetero statuta ordinis sui tempora desinerent. Ille ergo annus solus trecentis quadraginta quatuor dies habuit. alii deinceps trecentos sexaginta quinque & quadrantem. Hæc sunt inextricabilia. Res ita se habuit. Cum annus Romanus dies haberet CCCLV, menses XII, curtum mensum admittat intercalarem tertius iniens quisque, dierum alterius XXII, & XXIII, qui Mercedinus appellatus est. Hic Februarii mense, Terminalia inter & Regifugium intercalabatur. quorum illa XXIII Februarii diem occupabant, hoc XXIV. ut vetus Calendarium docet. Itaque VI Cal. Martiæ erat Regifugium. Ex quo, ut id obiter dicam, Ovidius per imprudentiam Regifugium

In Plin. Exercit. pag. 23.

Pag. 21. C.

Pag. 27. D.

Pag. 574. C.

Et 573. B.

Hæc

giur eo die collocasse videtur; qui est sextus à postremo. Sic enim hæc illius verba II Fast. interpretor.

Nunc mihi dicenda est regis fuga. traxit ab illa Sextus ab extremo nomina mense dies.

Regifugium diem sextum vocat ab extremo mense, id est ab ultimo die. Non enim Martium appellat extremum mensum. quod si faceret, tum sextus ab eo dies Februarii in VI Cal. incidere. Verùm extremum utique Februarium intelligit. ac proinde Regifugium in VII Calend. conjicit; aliud agens, ut appareat hallucinationis ansam præbuit appellatio ipsa diei, quod sextus Calendas diceretur. Eum sic Ovidius accepit, quasi sextus esset à postremo dies.

Cæsar annum ordinaturus primùm Merkedonium et more in Februarium inferere diebus constantem tribus & viginti, ut testis est Censorinus. deinde LXVII dies inter Novembrem ac Decembrem interpoluit. Falsaque is annus (verba sunt Suetonii) quo hæc constituebatur, quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum incidere. Nam LXVII illi dies in menses duos distributi sunt, & decimus quintus mensis fuit Merkedinus. qui quia ordinarius erat altero quoque anno, ideo non plures quàm LXVII illo anno intercalatos esse contendit Dio lib. LXIII. nimirum extraordinarios, neque hæctenus insertos. Eadem tradit Censorinus cap. XX. Vide lib. IV de Doct. temp. cap. I.

Hos omnes auctores laudat quidem Salmastius cum de correctione Juliana disputat: sed ita illis utitur, eos ut neque legisse, neque intellexisse; neque quid scriberet, ac quid sibi omnino vellet scisse videtur. Fidem vix ille stupor inveniret, nisi hoc in genere credibilia de se omnia fecisset. Primùm Suetonii sententiam refert, qui tres menses illo anno à Cæsare intercalatos ait. tum Dionis, qui præter LXVII dies negat ullos additos à Cæsare. deinde Censorini, qui præterea dies tres & viginti Februarii intercalatos asserit. Censorinus, inquit, præter illos sexaginta septem in mensem Novembrem, & Decembrem à Cæsare interpoluit, tradidit eundem Cæsarem mense Februarii ejusdem anni, dies tres & viginti intercalasse, quod miror. Ut ut sit certum esse non fuisse ordinariam intercalationem illo tempore, sed à Cæsare tum renovatam, mediani reformationem. Certè Dio septem & sexaginta dies tantum additos memorat, licet quidam plures adjectos fuisse velint. Nulli dies igitur intercalati mense Februarii. Nugatur itaque more suo N. qui Merkedonium in eum annum commodum incidisse scribit. Quid hoc homine facias? Ait, negat. Suetonio concedit decimum quintum mensum interpositum esse. Idem assentitur & Censorino, qui hunc eundem mensem Februarii intercalatum refert. ac tametsi id miretur; tamen ea lege admittit, ut non ordinaria per illud tempus intercalatio ista fuerit, sed olim quidem recepta, postea vero desita; & à Julio Cæsare repetita. Quæ cum factus sit, quo iudicio statim pronunciat, nullos omnino intercalatos esse Februarii dies: aut, nugari qui Merkedonium in eum annum commodum incidisse scribit. Hæcne prædantis, ac cogitantis quid scriberet hominis verba sunt? Atqui istud ipsum, quod qui scribit negari eum asserit, Suetonius; ac Censorinus disertissime narrat. quorum ille decimum quintum vocat mensem intercalarium, qui ex consuetudine in eum annum incidere. ille mense Februarii dies tres & viginti intercalasse Cæsarem ait. Falsò itaque Salmastius putat vel nullos omnino dies præter LXVII intercalatos esse: ac non dies illos tres & viginti in Februarium insertos: vel præter consuetudinem id esse factum. Nam horum posterius à Suetonio refellitur. qui ex consuetudine incidisse scribit. prius tum in Censorino, tum ab ipsomet Salmasto. De quo sciscitari velim qui tandem duo ista coherant; quæ eodem loco posuit; annum Confusionis dies habuisse quadringentos quadraginta quinque: & tamen præter ordinarios anni Romani dies non plures intercalatos esse, quàm septem & sexaginta. Etenim Romanus annus diebus constabat revera CCCLV, vel, ut imperitiosè Salmastius asserit, CCCXLIV, de quo paulò post. Accedant LXVII dies: sicut aut CCCCLXII dies, aut CCCCLXI non CCCCLV.

Ac si cum Dione Suetonii, ut de Censorino taceam, sic verba pugnent, ut alterutrum sequi, repudiato altero, oporteret; ambos non liceret; erat vel mediocris iudicii discernere, utri fides habenda potius esset: præsertim cum in illa ipsa castigatione anni Juliana referenda gravissimè sit lapsus Dio. ut cum Cancularis Periodi annorum 1460 ratiocinia temerè Julianis implicat. Verùm Suetonio non repugnat: ut paulò antè docuimus; & LXVII dies solos intercalasse Cæsarem merito asserit: quia solos illos extra ordinem intercalatos; ceteros ex consuetudine jam adjecterat; ut ait Suetonius. Neque verò contra Suetonium, ac Censorinum facit Macrobius, aut Solinus; & qui permissam arbitrio sacerdotum intercalationem ferunt, ab istis vitiosè, perturbatèque factam. Non enim, quamlibet depravata est, sublata penitus ab illis intercalatio fuit. Sed quamvis aut alieno tempore usurpata, aut interdum etiam omnia sit; non tamen intercalandi consuetudo perit; ut profusè dicitur Salmastius iudicat. Qui quidem alterum quoque portentum eadem pagina peperit, ubi & D. Solinum suum infelicissimè castigavit. Nam de Confusionis anno loquens ille his verbis utitur. Ille ergo annus solus trecentos quadraginta quatuor dies habuit. alii deinceps trecentos sexaginta quinque, & quadrantem. Ad ea Salmastius. Vulgò legitur: Ille ergo annus solus, quod falsum est. Nam hic anni Romani modus erat, cui dies unus adjectus ex superstitione vitandi parvis numeris. Ergo modus anni Romani dierum fuit trecentorum & quadraginta quatuor, vel quinque? Atqui trecentorum & quinquaginta quinque fuit. Quantum hoc prodigium est? Neque verò librarii culpx, aut Scriptoris preparationi error iste tribui potest; sed illius tum mentem penitus occuparat. Alioqui corrigendam minimè dixisset vulgaram Solini lectionem, quæ anno illi non plures imputat dies, quàm trecentos & quadraginta quatuor: neque solos pro solis reponi iussit. Deinde pag. sequenti eandem anni formam Atheniensibus impegit dierum CCCXLIV. Eat nunc & Delrio, aliique insultet; & errores exprobrat, cujus pagina nulla turpissimis hallucinationibus vacat.

Sed illuc revertor. In illo Solini loco pleraque ab eo Scriptore tradita sunt. Itaque veritatis in illis species aliqua trahet. Nam revera constabat annus ille Confusionis postremus diebus CCCCLIV, aut uno amplius. pro his Solinus CCCXLIV per imprudentiam scripsit. Mensis Merkedinus ex consuetudine intercalatus est Februarii, dierum XXII, aut XXIII pro quo dies XXI; scripsit idem. Quare in Epiphaniæ Animadversionibus observaveram, videri Solinum scripsisse CCCCLIV, & quod ad dies illos XXI; attinet, ad Mercedonium respicere potuisse. Non dixi Merkedonium dies habuisse XXI; ut calumniari Salmastius. sed aliud agentem Solinum, cum ad Merkedonium respiceret, eum dierum numerum scripsisse. Nam quod de hoc Solini loco postremò dixi amplius esse cogitandum, non id inconstantia est, quasi quod de diebus CCCCLIV dixeram retractare veluim. verum de quadrante isto insititio dixi; de quo merito dubitaveram.

At iste, qui inconstantiam nobis opinionis objicit, qui tam crassa ἐπινομήτων portenta tueri, vel excusare poterit, quæ in ejus scriptis perpetua sunt? Age quid causari poterit; quò minus sibi ipsi turpissimè contradicat in eadem de anno Romano Diatriba? Quod enim Solinus scripsit, præter dies XXI etiam quadrantem intercalatum fuisse, de hoc ita loquitur: Præterea nova ista est, atque inaudita ratio intercalandi, quæ quadrantem adiecit. Et antecedente pagina: Et quando enim unquam habita ratio quadrantis in intercalationibus? Hoc profectò ineptum, & ἀνεγόν, falsissimèque. Atqui in Exercitatione de anno Ægyptiaco putat Ægyptios annum civilem observasse dierum CCCLXV cum quadrante, quem etiam quadrantem quotannis explicare solitos refert, sic ut annos quadrienni singulos ab divertsis & ἀνεγόν partibus aspiciati sint. Si res inaudita est, quadrantis ad integros dies adjectio, quoniam pacto id Ægyptios tenuissime defendit? Sed de hoc re suo loco pluribus. Jam verò correctio illa, quam ad Solini locum adhibet Salmastius, infelicitissima est. Credit ita scripsisse Solinum: dies XXI & quadrantem simul intercalatis, pro illo intercalatis. Annus enim Romanus, inquit; dierum fuit CCCLV. Annus illum Confusionis Cæsaris voluit esse dierum CCCCLIV. Ergo dies detraxit ex anno Romano undecim. Sed annum, ait solarem sibi fingit Solinus, ex quo Cæsar detrahit dies XXI; Confusionis annum fecit dierum CCCCLIV.

Pag. 111

Pag. 111

Solinus illustratur.

Salin.

Pag. 21. C.

Pag. 27. D.

Pag. 574. C.

Et 573. B.

Hæc

Hæc conjectura præter temeritatem nihil admodum habet. Annum Romanum ait diem fuisse CCCLV. Cæsarem vero Confusionis annum diebus undecim minorem esse voluisse. Ridiculis, neque adeo despuit Solinus ut hoc scriberet. Deinde si annus Romanus ordinarius dies habebat CCCLV; ergo annus Confusionis præter ordinem undecim decurtatus est. Atqui paulo ante vulgatam Solini lectionem reprehenderat, quod in ea esset: *Ille ergo annus solus trecentos quadraginta quatuor dies habuit*. atque ibidem *solos* legendum asserit; quoniam non solus annus Confusionis dies habuit CCCXLIV, sed Romani omnes anni. Hocine est considerare quid dicas? Unum, si potest, respondeat. Si Romani anni modus fuit dierum CCCXLIV ut pag. 21. D. distet asserit, quomodo fuit dierum CCCLV, ut statetur pag. 22. A. Item, si annus ordinarius dierum fuit CCCLV, eoque minor fuit Confusionis annus diebus undecim; cur falsum esse credit, quod ait Solinus, solum hunc Confusionis annum dies habuisse CCCXLIV. His se laqueis expedire si potuerit, aliquanti pretii hominem esse iudicabo.

Pag. 21. D.

Postremo neque Solinum se suum; neque correctionis Julianæ modum intellexisse demonstrat, cum hæc illius verba finitè accipit: *quo pacto regnati mensis de cetero statuta sui ordinis tempora detinerent*. Mitari se dicit quomodo intercalatione dierum XXI; regnati mensis poterint, cum diminutioni potius, quam additioni id verbi conveniat, quod *regnati* significat, non *regnat*. Hinc apparet, ut dixi, nihil minus quam id, de quo scribebat, intellexisse Salmasium. Etenim sola dierum additione, non XXI, sed longè plurium regnati mensis Romani fuerunt. Paulo ante docuit Solinus, quod est verissimum, ante correctionem Julianam, Sacerdotum culpa sic annum Romanum esse corruptum, ut mensis, qui fuerant transacti hieme, modo essent, modo autumnale tempus incidere. Hoc in lib. II de Doct. Temp. cap. LXXVIII confirmavimus, & ibidem exemplis aliquot offendimus, quo tempore C. Julius Cæsar ad annum ordinandum animum adiecit, Januarium Romanum in Octobrem Julianum incurrisse. Quamobrem regnari mensis oportuit, hoc est ab aliena statione deijci, ac retrò in antiquum situm redigi. Hoc verò non detractis diebus, sed inculcatis, & insertis, uti factum est, ita fieri debuit. Anno Confusionis incunte, id est Pet. Jul. 4667, Januarius Romanus inhiit Octobris XIII, ut illo loco probavimus. Definere ergo debuit in diem Octobris secundum, quia Romanus annus diebus constabat CCCLV. ita ut sequens annus inciperet ab Octobris III anni Pet. Jul. 4668. Ut igitur initium anni ab Octobris tertio diebus nonaginta resisteretur in Kalendas Januarias, hoc est circiter septem; brumales, quid tandem opus est factò? An, ut Salmasius jubet, totidem dies subducendi sunt? Hoc ut fiat, anni sequentis initium Aprilis Romanus erit, usque in Octobris tertio vel quarto Kalendas habebit. At ea ratione Januarius Romanus in Julium ascendet, non descendet in Januarium hodiernum. Quis ergo præter istum non videt, dies aliquot intercalandos esse inter antecedentis anni finem & initium sequentis, ut hujus Kalendæ in Kalendas Januarii in anno Juliano recidant, adeoque, quod rectè Solinus ait, regredantur?

CAPUT X.

De anno Attico nuperi cuiusdam Scriptoris conjectura refellitur. Herodoti & Halicarnassensis locus non rectè ab illo acceptus. Eiusdem pugna secum.

COMMODOUM in edendis Dissertationibus istis eram occupatus, cum novus ecce commentarius de anno Attico, & Romano prodit; in quo de utroque conjecturæ promuntur ejusmodi; quæ si veræ sunt; tum illa falsa sint oportet, quæ de iidem annis primum in Opere de Doctrina Temporum; deinde hoc, & superiore libro tradidimus.

Illam ergo Diatribam cum in manus sumpsissem, ac sedulo, & diligenter evolvissem, quæ de annis istis in ea continebantur, parum dicta probabiliter animadverti; ac ne coherere quidem secum; nedum cum rei veritate congruere. Hujus inquisitionis, animadvertio- nisque summam debere me hoc loco lectoribus meis ar-

bitror; ne si ea, cuiusque modi sunt, penitus omittantur; ad præjudicium aliquod opinionis nostræ, doctrinaeque trahant minus attenti, autistarum rerum periti: magisque, quod erant difficilia, dissimulata hæc à nobis, quam quod momenti nihil haberent, neglecta videantur. Duo sunt libri; quorum in priore, qui est Operis totius octavus, annus Atticus nova ratione declaratur. posterior annum Romanum completur novæ periodi nexibus obligatum. In utroque quid improbem ita breviter exponam, ut de auctore nihil, de re ipsa, & opinione tantummodo disputem: quod nemo prudens vel non licere nobis; vel reprehensione dignum iudicare poterit.

Anni Attici, qualem nova conjectura comminiscitur, capita sunt duo; alterum, epocha, sive cardo; alterum, dierum modus, qui huic imputatur. Annum fuisse dierum trecentorum sexaginta, non plurium, non pauciorum, in exordio libri statim asseritur: caput autem illius in VIII die Julii constitisse. quæ ambo ex Scaligeri doctrina mutuatus est. quibus alia quædam deinceps adjicit, quæ paulò post expendemus. Ad hæc lunarem præterea tribuit annum; sed eum abnormem initio, utpote dierum non amplius quam CCCXLVII; post CCCLIV; ac tam hunc, quam priorem nonnullis periodis obstructum, quas ex ingenio ille suo concinat.

Atticum annum haud pluribus quam CCCLX diebus olim constituisse, duobus probat argumentis; uno ex Herodoti verbis petito: qui libro I annis LXX dies assignat 25200, absque intercalari mense. secundum ex Varrone petito, qui Demetrio Phalereo tot statuas Athenis ait erectas,

Quot lucas habet annus absolutus.

Quæ duo firmamenta Scaligerianæ sententia discussa sunt à nobis lib. I de Doct. Temporum cap. VIII. & in Opere hujus quarto, cap. XIII. quo minus hic illa repetere oportet. Sed in Herodoti loco ad usum suum accommodando quam parum constat sibi, ex eo cognoscitur. Nam capite primo annum Atticum non pluribus, nec paucioribus, quam CCCLX annis comprehendum esse docet inde, quod Herodotus asserit annos humanæ vitæ LXX, dies colligere 25200, si mensis embolimus omittatur. Ita necesse est annos singulos ex diebus exactè componi CCCLX. Nam 25200 per 70 distributa totidem efficiunt. Atqui capite VIII de anno lunari intellexisse, cum scripsit, menses Græcorum fuisse tricenarios, ac tertio quoque anno mensem intercalari *ἡμέραν ἀνέκειν*. Nam falsum ideo censet Herodotum, quod cum menses Græcorum omnes, uno excepto, dies haberent novem & viginti; & nihilominus singulis usu loquendi sua *τετρακταὶ* imputaretur; historicus ille per imprudendum omnes tamquam verè tricenarios accepit. Qua ratione totum illud Herodotei loci præsidium abjuciat ab sese. Etenim si Herodotus de anno lunari interpretandus est; non ergo Græcorum æquabilis annus potest ex illius verbis asserui. Similem ἀποπροσέλιον videre licet apud Scaligerum: qui cum libro I de Emend. cap. de anno æquabili minore Græcorum, Herodotum testem adduxisset anni Græcanici ex diebus CCCLX compositi; ultimo libri capite eundem Scriptorem de anno lunari maluit exponere; qui cum dies haberet CCCLIV, tamen CCCLX dierum putabatur, quia menses omnes habebant *τετρακταὶ*, quamvis non omnes essent *τετρακταὶ* *ἡμέραι*, quia *ἡμέρας* alternis interveniebat.

De octavo die Julii, quam epocham facit anni Attici, haussit Scaliger nuperus Scriptur. sed si ratione qua fit in eam inductus opinionem requiras, nullam ab eo vel levissimè significatam reperies. Nos scimus rem esse commentitiam, & ex sola animi libidine excogitatum à Scaligeri: veteres Græcos Olympiadum initio *ἡμέρας* in octavis partibus ab contactu circulozum; & octavo itidem die ab solstitio vero civiles constituisse cardines. Hoc cum sæpè, tum validissimè refellimus in Opere de Doctrina Temporum. nec non libro tertio hujus Operis; ubi longè aliter de octavis illis partibus sentiendum esse demonstravimus. Neque verò consentaneum est, ut id detur, quod est falsissimum, Olympiadum initio *ἡμέρας* in octavo Julii collocatas esse; eundem

eundem cardinem insequentibus deinde servatum esse temporibus; neque ex tam crebra civilis anni castigatione, ac Mathematicorum observatione didicisse Græcos aliò sedem illius cardinis esse translatam. Verum hæc de octava parte signorum divinatio Scaligeri prorsus explodenda est, qua sublatâ, tota anni Attici, ejusque periodorum structura ab nupero Scriptore fabricata concidit. quæ illi velut fundamento prorsus innititur.

At ecce novus dogmatum conflictus. Cum enim duplicem Atheniensibus impingat annum; æquabilem, quem dixi; & lunarem; hujus quidem Neomeniam tam ante solstitialem cardinem, qui est VIII Julii, quam post ipsum inhiisse fatetur, idque esse nemini dubium ait. non lunaris autem, atque æquabilis anni caput Julii VIII diem constituisse. quod ipsum tamen sic explicat, nihil ut ab lunari hac ex parte distaret. quippe qui solstitium, itidem ut lunaris, anteverteret aliquando. Nam Scaligerum redarguit, qui caput anni posttridie solstitii, hoc est IX Julii statuit. contra quem probat interduum ante solstitium cœpisse. Hæc verò sunt *ἀποπροσέλιον*. Caput anni non aliud est, quam initium anni. Hoc autem terminus esse debet, in quo constitit annus, nec eum anteverit. In anno solari caput est certus aliquis dies, ad quem adhaerescit, hoc est citra quem, vel ante quem non incipit. In lunari, quia id obtineri non potest, caput erit dies aliquis, quem nunquam prævenit Neomenia lunaris, vel plenilunium: licet interdum postea contingat. Sic anni lunaris Ecclesiastici caput est, vel VIII Martii dies, si annum auspiciemur ab Neomenia. vel XXI, si ab decimaquarta cœpitemus. Numquam enim metas istas antegreditur primus, ac Paschalis mensis. Quamobrem qui caput anni Attici octavum facit Julii diem, si eundem Neomeniam, non plenilunio, metitur; nunquam committere debet, ut ante Julii octavum Neomenia incidat. Nos, qui canonem anni civilis, ac lunaris Attici plenilunium fuisse suspicamur, id accuratè in Metonica, & Calippica periodo nostra tenuimus; quam utramque lib. II de Doctrina Temporum exhibemus. Ibi enim nunquam plenilunium epocham anteverit, qui fuit XXVIII Junii dies: cum Neomenie laxis habentis ultrò citroque comment. Idem & Scaliger utraque in periodo servavit; sed hoc in Neomenia instituit: quod in plenilunio fecimus. Merito id quidem. Nam non aliter caput anni constare poterit; nisi quod capitis proprium est; obtinebit; nihil ut eo sit anterior. Nec illud satis videri debet, quod in longiore annorum periodo primus annus in ipso cardine defixum habet initium. siquidem periodos annorum istas popularis sensus minimè consequitur. Unde si in annis XL semel dumtaxat octavum Julii diem Neomenia civilis occupavit, non potuit civilis hæc anni epocha censeri. Certè in ipsa periodo quadragenaria, quam sibi nuperus auctor effinxit, Hecatombæonem Neomenia in uno anno Julii octavo die incidit, qui periodum ducit. in ceteris longo intervallo tam præcedit, quam sequitur. In XXXIX, integro ferè mense caput antecipat. Cadit enim Neomenia in XI Junii. Quarto igitur, quid illis viris maximis succenseat, qui caput anni dixerunt fuisse posttridie solstitii. Cur enim octavo potius Julii, quam nono, periodi totius epocha defigitur?

Sed ut in arcem questionis involvemus; cum hæc illi conferendi in VIII illum Julii diem cardinis licita causa fuerit, quod Neomenia lunaris Hecatombæonem primis anni Olympici illo die contigerit; hoc si everti potest, alterum quoque corrumpat necesse est. Atqui certissimum est non VIII Julii die, sed IX tam medium, quam verum novilunium, præsertim Athenis, incidisse. Medium quippe commissum est hora 9, 6', 25" à meridie diei VIII Julii, ex Parisiis tabulis. Proinde sequenti diei, & astrologorum, & Atheniensium more tribuitur. Verum autem contigit Julii IX, hora 3, 5', 25" post mediam noctem. quod vel epilogismi Calviniani, ad quos, velut ad Cynosuram, cursum suum Scriptur ille dirigit, docere ipsum poterant. si quidem ex Sethi Calvisii tabulis novilunium anno illo comperit Julii VIII, feria 2, hora 20, 21', 32" post mediam noctem, in meridiano Prutenico. hoc est hora 8, 21', 32" à meridie. Quocirca tam *ἡμέρας*, quam *ἀποπροσέλιον* in sequentem diem rejicitur.

Jam illa qui tandem consentanea sunt? Ait cap. I pag. 191; non solum caput anni Græcorum fuisse solsti-

tium; sed etiam ne Hecatombæon antevereret solstitium, mensis intercalasse. Idem tamen paulò post cap. III, periodum Atticam annorum XL sic ordinat, ut in ea octavo Julii primus dumtaxat annus auspicietur: quod Græcorum fuisse solstitium existimat: ceteri novem & triginta ante illum diem incipiant. Quid tergiverfamur autem? Sexto ecce capite pag. 214, ita scribit: *Nam quia Neomeniam mensis Hecatombæonis in Junium Julianum incidisse utplurimum, constat ex iis, quæ in superioribus disputavimus: Neomenia enim Hecatombæonis nunquam remotior fuit die octavo Julii*. Sive de anno lunari loquitur, contrarium id est ei, quod ex capite I ejusdem Diatribæ retulimus, quod ad lunarem annum attinet, nemini dubium esse potest, Neomeniam Hecatombæonis modò anteverisse, modò posteriorem fuisse *ἡμέρας* *ἡμερας*. Sive de æquabili anno ista dicit; cum iis nequaquam congruunt, quæ I capite memoravit: *ne Hecatombæon solstitium antevereret, mensis intercalatum fuisse*. Quomodo eadem Neomenia, & nunquam anteverit solstitium, & sæpius anteverit? & in Junium utplurimum incidit; & nunquam ultra octavum Julii diem propagata fuit? Hæc qui potest simul esse vera demonstrare.

Quod Neomenia non lunaris Hecatombæonis solstitium anteverit, probare se putat eodem primo capite ex eo, quod Tarrutius asseverat apud Plutarchum Romulum anno primo Olympiadis esse genitum, XXIII die Chæac, hora tertia, quando & Sol defecit, qui dies cadit in XXIV Junii. Quod eo die Sol defecit, hinc annum primam Olympiadis cœptum esse colligit, adeoque Hecatombæonem hunc fuisse; qui, contra quam magnis viris placuit, ante solstitium, hoc est octavum Julii initium habuerit. Verum quam bellè ratiocinatio ista procedat, equidem non video. Primum cum de Neomenia Hecatombæonis non lunaris concludi oporteat, de lunari solo argumentatio ducitur. Tum ne satis quidem de lunari firma videtur. Negabit enim Scaliger, cum viris illis magnis, contra quos ille disputat: Neomeniam istam Hecatombæonis fuisse, non solum lunaris, sed etiam æquabilis. atque eam potius fuisse contendit, quæ proximè est Julio mense consecuta. Nam quod primo anno ineunte Olympiadis contigisse istud affirmabat Tarrutius; vel eundem anni contextum Elidensibus fuisse, qui Atheniensibus, Græcisque ceteris, inficiari poterunt; vel, quia mensis unicus ad Olympiadicum mensum supererat, postremum mensum anni quarti primæ Olympiadis, secunde imputatum esse defendent, quemadmodum haud rarò apud auctores usurpari solet.

Postremò frustra capite secundo Dionysii Halicarnassensis locum illum mendi suspectum habet, qui est Originum libro primo, ubi captum Ilium dicit, *ἐν δὲ τῷ φθινόπωτῳ πλεῖστον θάρηκλον*, octavo defunctis Thargelionis, ἡλιακάδων ἡμέρας ἡμερας ἡμερας *ἡμερας*, septuaginta ante æstivum solstitium die. Perperam, inquam, legendum putat, *ἡμέρας* *ἡμερας* *ἡμερας* *ἡμερας*. Nam rectè habet hic locus, uti lib. IX de Doctrina Temporum cap. XXXI, & capite tertio cimo libri quarti operis ostendimus.

CAPUT XI.

De periodo Attica recentioris auctoris; cujus contextus dissolvitur. Epiphanius locus perperam ab eo emendatus, & expositus illustratur. Dies natalis Christi ex ejusdem, & aliorum sententia. Lunaris defectio ab auctore nupero sub initium lunaris mensis conjecta.

PERIODUS Attica ab auctore nupero concinnata capite tertio, non minus, quam Scaligeriana, commentitia est. Imò verò ex iis, quæ superiori capite demonstrata sunt, nullam sibi speciem probabilitatis reliquam facit. Nam nec anni modus dierum tantummodo CCCLX apud Athenienses existit, neque *ἡμέρας* Julii mensis octavo potius quam nono, sive potius quam Junio mense constiterunt. neque porrò vera sunt cetera, quæ ad illius contextum assumpta sunt. Tetraetris apud Athenienses uniusmodi fuit, nempe lunaris aut vera; aut quam verè proximam arbitrati sunt, cum solis rationibus implicata. De qua nos abundè disputavimus in lib. I, & II de Doct. Temp. & in IV hu-

ius operis adversus Hispanum Jurisconsultum... porro tum fiebat, cum ab Solis, Lunave cursu...

Cap. VIII.

Lunarem Græciæ veteris annum Scriptor idem diebus CCCXLVII pari licentia circumscribit... mensis singuli XXIX, unus XXVIII fuerit...

At nuper Scriptor ad periclitandam suam periodum, postulatitiam alteram periodum arcessit...

Nec est solidioribus fulta machinis altera periodus, quam sexto capite ex annis CXX solaribus contextit...

Epiphani locus.

Sed est mirifica Scriptoris ejusdem animadversio cap. VII libri ejusdem octavi super Epiphani locum... ubi natalem Christi diem variorum populorum mensibus...

Animadversionibus ad illum Epiphani locum; & in IV de Doct. Temp. cap. VIII docuimus. Baptizatus quoque Christus est eodem auctore a. d. VI Eid. Nov. quem ait Metagitinionis esse septimum.

Non est igitur ab ea parte difficilis locus, qua nuper Scriptor exilium. sed alia est doctrina, qua non in-diligenti lectori moram, & cunctationem possit asserere. Hoc enim movere nos potest; cur Epiphanius diem illum, qui est ante VIII Eid. Januariarum, appellet quintum Januarii. Est enim utique sextus. Nam sexto Januarii natalis Christi dies apud Egyptios celebrari consueverat. Mendosam numeri notam esse, suspicari possit aliquis, ac pro seipsum substituentium inter, sed occurrit modo conjecturae genus aliud, quod sit fortasse probabilius. Epiphanius equidem arbitror loquendi formulas istas, ante diem sextum, vel octavum Eidus, sic intellexisse, non ut ille ipse dies esset, qui sextus Eidus, vel octavus dicitur; sed qui pridie sit illius diei. Sextus dies Eidum Novembris est ejusdem mensis octavus. at octavus Eid. Januar. est Januarii sextus. Pro his Latini nominant, ante sextum, vel octavum Eidus. Epiphanius vero præpositionem ante præcedentem diem significare credidit. Ideo ait ante octavum Januariarum interpretatus est de Nonis, quæ VIII Eidus antecedunt. Natum ergo Christum arbitratus est ea nocte, quæ inter V, & VI Januarii diem intercedit. Verùm Athenienses diem civilem aspiciantur à vespere. Hinc Epiphanius idem Mamaçterionis non quintam, sed sextam computat, & cum Januarii quinta, id est ejus subsequente nocte componit.

Est apud Photium, num. CCXXXII, Excerptum Stephani eujusdam Gobari Tritheite, capita nonnulla quæstionum continens, quæ ab illo problematicè in utramque partem disputantur. In his de nativitate Christi scriptum est ad hunc modum: τὴν αὐτὴν ἡμέραν ἣν οὐρανὸς καταστάθη, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον ἐκπορεύθη ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐγένετο ἡμετέρα ἡμέρα. Peperit autem Dominum nostrum Jesum Christum expleis mensibus novem; videlicet Januarii quinto, media nocte, quæ est ante VIII Eid. Januariarum. Quintum Januarii scriptum itidem ut Epiphanius; & ante similiter accepit. Utrum autem Epiphanius perinde Novembris septimam appellaret diem, quæ est ante VIII Eidus, non constat; quia quotum diem mensis non expressit, ut in Januarii fecerat. Tum autem de die utique baptizatus sit, non de nocte, Christus. Metagitinionis septima, Novembris item septima est; si à Kalendis Novembris Atticus mensis incipiat. Sed cum eundem diem, qui est ante VI Eid. Novembris, numeret Dii Syromacedonum mensis octavum; Dius verò à Kal. Novemb. inchoatur: non satis extricari res ista potest. & apparet ante VIII Eidus rectè ab illo, & Latinarum consuetudine hic quidem usurpari: qua ratione Neomenia Metagitinionis secundo Novembris inierit, ut illa conjectura locum habeat, quam in lib. IV de Doctrina Temporum cap. VIII proposuimus, super ordinatione anni Attici.

Rursus alia Periodus lunaris ab eodem constituta est in VIII cap. in qua refellenda tempus non conteram. De Plutarchi loco, quem ad confirmandam Periodum adjungit, unum illum admonebo: falli Plutarchum, qui in Camillo scribit, sexto Boëdromionis Perfas apud Marathonem esse superatos. quod ex Herodoto libro VI redarguitur. Ibi enim ingruentibus Perfarum copiis Athenienses referunt legatos misisse Lacedæmonem, qui eorum imperium nullo modo pervenerunt. Verùm Lacedæmonios ante plenilunium egressi noluisse, secundum quod tertio die in Atticam venerunt. Si eorum imperium nondum commissum erat prælium, erroris Plutarchus, ejusque librariorum convincitur, qui id sexto die factum asserit.

Demum Cleostrati, & Harpali octaëteridas eadem illa Diatriba falsis, & hæctenus confutatis ex elementis, ac principis nonnulli falso composuit. Quas quidem ambas ex lunariibus annis insituit. Harpaleam quidem diem 2925. cujus anni singuli lunares dies colligebant CCCLV. Quæ cum absurda sunt omnia; tum illud mirificum cap. X, quod eclipsis lunarem sub ipsum novilunium accidisse ratiocinando conficit. Erenim quo anno imperator factus Cleo, Boëdromione mense Lunam defecisse indicat Aristophanes, ejusque Scholiastes. Id accidit Stravole prætoris, anno IV Olympiadis LXXXVIII, tertio undecima octaëteridis Cleostrati, cujus Gamelion

De die Christi.

Herodotus.

Meteo-

Mira ab- furditas opinio- nis, que lunarem eclipsis in novem- brio con- tinuit.

Gamelion capite die sextodecimo Januarii: Boëdromion nono Septembris. Sed promovenda est Neomenia per triduum ex Harpali emendatione. Ergo Boëdromion capite die duodecimo Septembris. Quare sextus Boëdromionis (erat autem octavus mensis) cedit in diem decimum Octobris. Luna vero defecit vespere diei præcedentis, noni Octobris. Hæc auctoris illius verba descripsimus, quibus præclara continetur observatio lunaris defectiois, quæ sub initium lunaris mensis incurrit. Nam lunares erant Cleostrati Harpali que menses, non æquabiles. Et quamvis paullatim vitium fecerint; non eò tamen progredi potuit, ut cum Neomenia plena Luna concurreret. quod ne præcis quidem sæculis, nondum intellecto Lunæ circuitu, evenire facile potuit; quin interea aliquot expunctione remedium afferrent, ac tantam labem occuparent.

CAPUT XII.

De anno Romano vetere contra nuperi Scriptoris opinionem differitur. Falsa ejusdem Periodus. Alienis cladis annus male à Polybio traditus. Merkedonii originatione falsa. Calvisii error in annis Urbis.

ANNO Romani veteris ab Numa castigati rationem exposuit accurate Livius in lib. I. qui cum & Macrobius lib. I, cap. XIII concordat. Erat modus anni Romani dierum CCCLV. ad quos alternis XXII, vel XXIII accedebant, qui erat mensis intercalaris Merkedonius dicitur. Anni XXIV cum intercalariibus suis, dies efficiunt 8790. Totidem anni Juliani, dies 8766. Differentia, dies 24. Proinde anno vicesimo quarto, Merkedonius diebus constans XXIII omittebatur, una cum superfluo die ordinario: (siquidem annus erat dierum CCCLV, cum CCCLIV esse deberet.) Ita vicesimo quarto quoque anno ad metam eandem solis, unde orti essent, plenis annorum omnium spatii dies congruebant; ut ait Livius. Quare Periodus Romana colligebat annos XXIV, non XXII, ut Scaligero; non X, aut XX, ut nuperi Scriptori visum est; qui libro IX operis totius de Romano anno disputans Livianum illum locum haud merito mendis suspectum habet: ac pro vicesimo quarto, substituit vicesimo. In quo primum editionum penè omnium confessione refellitur. Deinde levi in eam conjecturam argumento ducitur: quod videlicet Livius plena fuisse dicat annorum spatia; hoc est nullo Merkedonio defecta. quasi plena spatia Merkedonios ipsos appellet, qui inania intervalla mercedunt. Sed non ita est. Plena quippe spatia nominat totam annorum XXIV spatia, quæ sunt adæquata diebus, hoc est additis intercalariibus; & uno, cum opus est, deducto, cursum solis exæquat. Quippe singuli anni non sunt pleni, nec cum anno Solis adæquantur: sed ab eo diebus X; deficiunt. ad systema viginti quatuor annorum paria facit cum totidem solaribus. Ideo non plenis annorum spatii simpliciter dixit: sed plenis annorum omnium spatii.

Quod si plena annorum spatia appellare non licet, nisi Merkedoniis omnibus sit in illis locis, exempto nullo: ne plena quidem appellari poterunt ea descriptione, quam recens auctor excogitavit; qui in anno nono dies subductos esse decem existimatis mensibus tribus. Ita enim pleni omnes anni non fuerint, decurtati diebus aliquot. Sed conficta est ista periodus annorum X, aut XX; nec non ista periodus decem, quam sanè Macrobius haud persuadet, cum in publicanorum gratiam modo auctorem, modo retractionem dierum provenisse refert. Nam de intercalario mense Merkedonio aperte loquitur: nec de denario numero, vel littera illa significat.

Sed lepidia est origo Merkedonii, quam ab eo quod est μέλας, & ἑοικέντες μῆρας, veteri autem Latio Mer; & à verbo μετέωρον repetit; quod est sollicitum esse, unde μετέωρον. Quod portentum originationis referre, confutata est. Præterea cur Merkedonius dies exemptiles ex Idibus potius quam Nonis, aut Kalendis detrahit? Quod enim Macrobius ait scribere definitum fuisse Nonarum, & Kalendarum numerum; non Eiduum; id est falsissimum, siquidem lib. I cap. XV, Nonas ex quorundam sententia ita dicitas memorat, quod ab eo die semper ad Idus novem dies pntentur. Sanè constantior erat Iduum, quam Nonarum, Kalendarumve nune-

Par. III.

rus; utpote qui octavum excederet numquam; cum variaret in ceteris.

Postremo commentitiam periodum nihil exemplum adjuvat ex Alienis cladis anno petitur. quem quidem annum falsò numerat Urbis conditæ CCCLXVI, secundum verò Olympiadis XCVIII, quo Theodotus Archoa fuit. In quo trienni metachronismo peccat. Nam accidit illa pugna Urbis anno, secundum Fastos Capitolinos, quos ibi sequitur, CCCLXIII; secundum Varronianos, CCCLXIV. cum Theodotus Archoa fuerit anno, ex Varronis calculo, CCCLXVII. Quòd anno eo, quem dixi, pugnatum sit ad Aliam, Livius lib. V, nec non Fasti omnes sine controversia testantur. Etenim illo anno certissimum est Alienis cladem, & Urbis cladem incidisse, quo Fabii tres fratres, quorum causâ repentina illa Gallorum impressio facta est, Tribuni militum Consulari potestate fuere; nec non Q. Sulpicius: de quo nominatim meminit Verrius Flaccus apud Gellium lib. V, cap. XVII. At Polybius lib. I Romanæ urbis cladem confert in eum annum, qui XIX est à victis Atheniensibus ad Ægospotamon, & XVI ante Leuëricam pugnam. qua ratione cadet in annum, quo Prætor fuit Theodotus. sed Polybiana putatio minus est exacta; eique cum Romanorum annalium conditores omnes adversantur; tum historia ipsa reclamat. Vide caput XXXI libri X de Doctrina Temporum.

Quod autem eandem periodum Romanam auspiciatur ab anno Urbis CLXXXV. quo primum lustrum à Servio conditum asserit, id è Scaligero quidem Calvisius, ex hoc verò Scriptor nuperus expressit. sed præterea, ac citra firmam argumenti ullius fidem primum in eo anno lustrum figurat. ut in II de Doct. Temp. cap. LXXVII demonstratum est. Labat itaque periodi novæ structura, cujus contextus ab illo capite propagatur. Quoniam verò Calvisianis ex rationibus in digerenda Romana periodo, ac reliqua omni Chronologia pendere se Scriptor ille profitetur, libet magistri ipsius, ac ducis errorem in putandis Urbis annis obiter exponere. Quod igitur Calvisius in ordinandis annis ab Urbe condita rationes conturbet; potest iis argumentis haud dubie colligi.

Capite XXI Apparatus Chronologici, qui est de caracteribus; annorum U. C. caracterissimos, hoc est cyclos Solis ac Lunæ definit ejusmodi, ut annus primus Solis XIV, Lunæ X cyclum habuerit. unde perpetua methodo additis ad annos Urbis tredecim, cyclum Solis consequemur. cyclum verò Lunæ, additis novem. Exemplum asserit anni U. C. 797, quo Coss. fuere M. Vinius Crispinus, & M. Stilius Corvinus; quando Sol defecit Kalendis Augusti. anno quinto Tiberii. Divisis 797 per 19, restant 18. Atqui cyclo VIII contigit defectio. Ut igitur proveniant 8, addenda sunt 9. Proinde cyclo Lunæ X annus U. C. primus affectus est. Divide 797 per 28, reliqua sunt 13. At esse cyclum Solis oportet 26. Addenda sunt itaque 13, ut primus Urbis annus cyclo Solis præditus sit 14. Sic anno U. C. 766 mortuus est Augustus, cyclo Solis 23, Lunæ 15. quo defecit Luna Septemb. XXVII, fer. V. Si 766 per 28 partiare, reliques 10. Ut ergo fiant 23, adiciendi sunt 13. Item additis 9, & divisa summa per 19, relinquitur cyclus Lunæ 15. Cum hæc tam bellè Calvisius assereret; subinde tamen eodem capite, octo tantum addenda sciscit ad methodum cycli lunaris: ad cyclum verò Solis, duodecim: ita ut cyclo Solis XIII, Lunæ IX primus condita Urbis incidit. In Chronico verò priorem ad sententiam redit, & primum conditæ Urbis statuit anno mundi 3198, cyclo Lunæ X, Solis XIV, littera D. quo eodem anno celebratam ponit Olympiadem septimam. Ita Calvisius in editione secunda Operis Chronologici. Nam in priore, anno mundi 3197, cyclo Solis XIII, Lunæ IX conditum Urbis assignarat. Annus primus ætæ Christianæ ab eodem putatur orbis conditi 3950. Proinde mundum conditum censet anno per Jul. 764. Autumni tempore. Verum ut cum anno Juliano concordet epilogium annorum mundi; tam primum à Kal. Januariis proximis ab rerum conditu; quam singulos deinceps iidem à Kalendis profectici voluit. Quare ad annos mundi Calvisianis adjectis annis 764; existet annus Julianæ periodis; qui propriis illius cyclos offeret; quo à ceteris facile dignoscetur. Annus mundi 3198, additis 764 efficietur

De Alienis clade Polybii error.

Page. 85. Gricolat. edit.

Calvisii in annis Urbis hallucitatio.

ficitur Per. Jul. 3962, cyclo Solis XIV, Luna X, quo annus Iphiti XXIV defuit, eoque Roma condita ponitur Apr. XXI. Eodem anno, Jul. XXVII, fer. 2 celebratam putat Olympiadem VII. Hac est Calvisiana epocha condita Urbis in editione posteriori. Nam in priore conditum illius statuit ante antecedente, qui est Per. Jul. 3961, cyclo Solis XIII, Luna IX. Harum prima sententia Varroni placuit: & Varroniana vulgo nominatur. altera Capitolinorum Factorum est; quae & Antoniana perperam à Scalgero dicitur. Utraque sectatores habet & multos, & eruditos Chronologos. quos inter unius tantum anni discrimen est. sic ut posteriores uno pauciores Urbis annos putare soleant, quam primis & Varroniani. De quo vide quae in IX de Doct. Temp. cap. LV scripsimus.

Ex his priorem, ac Varronianam Dio, & Cenforinus fecuti sunt. Etenim Dio initio lib. XL annum eum, qui Coss. habet L. Domitium, & Appium Claudium, vocat Urbis septingentesimum. quotus est in æra Varronis, & in Onofriani Fastis, qui hanc adhibent. at in Capitolinis, & Sigonianiis uno minus numeratur undeseptingentesimus. Cenforinus verò cap. XXI cum anno Iphiti 1014 componit annum Urbis 991. Palliorum dies, à quo annorum Urbis exordium capitur, Olympiadum initia præcedit. Quare annus ille 991 coepit labente adhuc Iphiti 1013. Unde si de 1013 subtrahas annos 991, reliqui erunt 22. Ergo deficiente Iphiti anno XXIII condita est Urbs ex Varronis, & Cenforini sententia. Hinc apparet, haud mediocriter falli Calvisium, qui illum ipsum Cenforini locum ad opinionem suam invictissimum trahit, ac secum mirifice digladiatur. Quippe ad annum Christi CCXXXVIII pertinere Cenforini characterissimos omnes existimat, qui cyclos habuit, Solis XXIII, Luna XI. quod & certissimum est. sed quid ex eo consequens sit, nequaquam animadvertit. Nam si annus Urbis 991 cyclum habet Solis XXIII, Luna XI, necesse est primum inisse cyclo Solis XIII, Luna IX. Dividuntur anni 991 per 28. residui erunt XI. ut ergo fiant XXIII, ad summam addendi sunt XII; ut primus coepit cyclo Solis XIII. sic iidem anni 991 per 19 partiti, restant 3. quare ut undecim reliqui fiant, octo adjiciendi sunt. Cyclo ergo Lunæ non primus inuit annus Urbis condita. Sed vide hominis à me ostenditur. Annum illum Christi CCXXXVIII, quo Ulpianus & Pontianus Coss. fuerunt, non nisi nonagesimum nonagesimum ordine locat in Chronologia sua: & tamen cum hac ipsa convenire Cenforinum multis verbis prædicat; qui uno amplius eum numerat. Sed de tam manifesta hallucinatione nimium multa. quam ad Romanam periodum à nupero Scriptore concinnatam, totamque de anno Romano Diatribam illius examinandam, operæpretium fuit animadvertere.

CAPUT XIII.

De anno, quem Confusionis vocant, falsa nuperi Scriptoris divinatione rejecta. Cenforini, & aliorum sententia defensa. Ciceronis, ac Caesaris loca nonnulla declarantur. De mundanis imperiis, ac præpostera opinio refellitur.

ANNUM ultimam Confusionis, quem vulgo Confusionis annum absolute nominant, haud scio quam rectè; Cenforinus cap. X dierum fuisse refert quadringentorum quadraginta quinque. quod in eum, præter ordinarios anni Romani trecentos quinquaginta quinque, Merkedonius dierum XXIII ex more concurrerit. extraordinarii verò mensis duo, qui dies colligebant sexaginta septem; inter Novembrem, ac Decembrem inelatici, castigandi vitii causa, quod paullatim obrepserat. Etenim per illud tempus, Januariis in Octobrem; ejusque diem XIII incidemat. à quo ad finem Decembris dies sunt LXXX; qui cum anno integro Juliano, dies absolvunt CCCXLV. Vide lib. IV de Doct. Temp. cap. I.

Hunc annum nuperus auctor negat totidem fuisse dierum neque plures, quam CCCXXII eidem imputat; hoc est LXVII supra ordinarios CCCLV. Quam conjecturam fidere primum conatur testimonio Dionis, qui falli pronuntiat eos, qui plures quam LXVII dies à nobis intercalatos putant. Sed Dionis locus jam à nobis explicatus est cap. illo I lib. IV de Doct. Temp.

Nam & verum dicit; & Cenforino non repugnat. Quippe LXVII solos dies extraordinarios adiecit Cesar: quoniam reliqui tres & viginti usitati erant, & ex antiquo intercalari solebant. ut si, quod res est, fateri libeat, Romani modus anni non minus diebus CCCLXXVII, vel CCCLXXVIII, quam CCCLV finiendus esset. Non enim sapius hoc, quam illo numero constabat, si culpa deceret, ac negligentia; que utique constituendi anni regula esse non debet. Nam alternis numerus uterque processit anni civilis ex more institutoque majorum. Nec illud opponi jure potest; abnormem, & insolentem videri modum mensium duorum, qui dies colligant LXVII. Hoc enim certe nihilo mirabilis est, quam annum unum dies supra quadringentos habuisse.

Alterum probationis genus communis oppugnationis opinionis ex eo sumit, quod non pluribus, quam LXVII diebus ad annum Romanum castigandum opus fuerit, ut omni perturbatione sublata, deinceps à Kal. Jan. novus annus initium haberet. Ad hoc verò demonstrandum aliquot Julianæ correctionis proximos adducit annos; in quibus Januarius Decembris ferè, postremò verò, Novembri, non Octobri Juliano coepisse videtur. Sed in annis istis, auctoriorum testimoniis ad suum negotium applicandis solam ferè conjecturam, nec eam sanè firmam & probabilem advocat; ut singularem ostendam. Valer enim ea questio ad illustrandum annum Romanum veterem; & Ciceronis, aliorumque Scriptorum interpretanda loca. quæ res ab eo, quod institutum in hoc libro, & opere, non abhorret.

Primus locus est Ciceronis ex lib. IV Epist. ad Att. Epi. XVII; qui se scribit a. d. IX Kal. Nov. litteras accepisse ab Q. fratre, & à Cesare; quibus significabant a. d. VI Kal. Octob. exercitum è Britannia repertum. Cesar autem ipse lib. V de bello Gallico proximum ei tempori fuisse refert æquinoctium. Quas cum aliquamdiu Cesar frustra expectasset, ne anni tempore navigatione excluderetur, quod æquinoctium suberat, necessario angustius milites collocavit. ac summam tranquillitatem consecutus, secunda initia cum solvisset vigilia, prima luce terram attigit, omnesque incolas naves perdidit. Equinoctium ibi diem Octob. Jul. septimum fuisse fingit. sed perperam. Hoc enim Scalgerianum commentum, cum alibi refutatam est; tum hujus operis Lib. II Cap. IV, & V. Ergo æquinoctium tempus accipio, quod circiter Juliano Sept. XXIV postea respondit. Cum autem subesse dicitur æquinoctium, non sic intelligendum est, ut pauci tantummodò dies ad id usque supersuerint. Quare sub Angusti finem potuit id consilii capere Cesar; ne si longius expectaret, adversa ipsum anni tempestas intercluderet. Unde October Septembris ferè Juliano contigit; Januarius Decembris.

Alter annus est Urbis condita DCCI, qui Coss. item dicitur solus Pompeius, mense intercalario, V Kal. Marr. ut ad Milonianam Pedianus adnotat. Hunc annum coepisse vult Decembris Juliano die XXIII; quod eo probat argumento, quoniam Dio in Kal. Jan. anni illius incidisse nundinas refert: idque in religionem vertisse. Nundinas tum in Decemb. XXIII cum Kal. Jan. concurrisse, quod erat suadendum; nullare alia, quam divinatione mera, nec ea tamen verisimili consistit. Nundinarum orbes, & epilogismos aut non ab anni capite, Kalendisse Januariis, sed à Luna quæso, biduo post commissum novilunium, mense Martio processisse. Contigit autem novilunium anno isto Prid. Kal. Martii Juliano. Ideo Martius Romanus coepit Prid. Kal. Martii Julianas. quæ in quædam incidunt. Ab hoc die nundinarum cursus incipit. ita ut dies secundus Martii Romani, qui primus erat Juliano, initium illarum orbi dederit; ac prima nundina in decimum Martii veteris; nonum autem Juliano, convenerint. Sequentis anni Romani, hoc est DCCI, Kal. in Decembris Juliano die XXIII inciduntur, unà cum nundinis. Verum quibus illi concedat, nundinarum feriem alunde, quam à civili capite progressum habuisse? Saltem à Kal. Martii Romani mensis inciperet; non ab secundo die. Nam illius figmenti ne tolerabilem quidem rationem afferre potuit. Non procedunt, inquit, à Kal. Januariis nundinarum orbes. Quid ita? Quoniam in ipsas Kal. incidunt nundinae. At id ratum, & perpetuum

Ciceronis locus illi.

item dicitur.

Denique dicitur.

non fuit; propter æquinoctium anni Romani, ut nec in anno Juliano eadem semper Kal. Januariis feria contingit in quas si forte septima incidat; non licet ex eo concludere; feriarum orbem ab eo die minimè proficisci. Præterea non videt ex eo, quòd nundina cadant in decimum diem Romani, ac veteris Martii, nonum Juliano, in anno septingentesimo ab U. C. quem ille dierum constituit CCCLV; non posse nundinas eadem competere in Kal. Januariis anni septingentesimi primi. Etenim si de diebus 355 auferas 58, hoc est Januarii dierum XXIX, & Februarii dierum XXVIII, cum Kal. Martii Romani; sive dies qui à tertio Januarii, ad ultimum Februarii, intercedunt in anno bifextili; reliqui erunt dies 297 à secundo Martii Romani, qui in Kal. Martii Juliano anni incidit, ad finem anni Romani septingentesimi, qui Decembris XXII defuit. Ea summa per 9 divisa nihil relinquit. Quare dies ipsa Decembris XXII in nundinas incurrit, sequens verò, quæ sunt Kal. Januariæ, proxima fuit à nundinis, non in ipsas nundinas cecidit. Ad hæc Dio lib. XLVIII refert in anni Juliano septimi, qui Coss. habuit L. Marcium Cenforinum, & C. Calvisium Sabinum, nundinas incidisse; ejusque vitandi gratiâ unum diem extra ordinem intercalatum anno antecedente, ac deinde subtraham. Subducamus modò dierum omnium summam tam veterum ante castigationem, quam Julianorum sex, initio factò ab anno septingentesimo primo, ejusque Martii die secunda; à qua nundinarum orbis incipit ex nuperi Scriptoris opinione. quæ res in sequenti tabella proponetur: in qua annis singulis adjungemus dierum numerum, quem ille tribuit.

Tabella annorum aliquot veterum Romanorum. Table with 3 columns: Anni Romani veteres, Numerus dierum in singulis, Numerus dierum collectus. Rows include DCCI, DCCII, DCCIII, DCCIV, DCCV, DCCVI, DCCVII.

Adde jam 2192 dies Julianorum sex cum bifextis duobus, colliguntur dies 4757. quo numero per 9 diviso, fiunt enneades 528 integræ cum diebus 5. Quare sequentis anni Juliano septimi Kalendæ nequaquam in nundinas cadebant; sed in sextum diem enneadis, aut in quintum, si unum tantum bifextilem primis sex anni Juliano describas.

Cicero Epistola penultima lib. X ad Attic. quæ XVII Kal. Jun. data est; æquinoctium imminere significat his verbis: Nunc quidem æquinoctium nos moratur. Id scilicet eras erit. Legunt alii; id si æquinox erit. Non penitenda est illa, quæ vulgò recepta est, lectio. quæ quidem pridie ejus diei, quo verum æquinoctium futurum erat, scriptam epistolam esse significat. Itaque Maius Martio Juliano; Januarius Octobri respondebat. At in isto loco, quæ & quanta portenta sunt nuperi Scriptoris? pro vocabulo æquinoctium, aqps vovov rescribit ut sit aqps procella; vovov, novus ventus. tum pro æqps vel eras, qps, id est qps, quæ miror in mentem, ac stylium etiam hodie cuiusquam subire potuisse.

Quòd autem anno ultimo Confusionis, Octobri circiter Juliano, Januarii veteris anni congruerit, unice demonstrat auctor libri de bello Africano. qui sub initium Februarii Vergiliarum sidus docet esse confectum. quod in eum Novembri etate illa contigit. Per id tempus, inquit, ferè Cesaris exercitus res accidit incredibilis auditu. Namque Vergiliarum sidus confectò, circiter vigilia secunda noctis, nimbus cum saxorum grandine subito est excortus ingens. Finem huic capiti, ac disputationi dabit præclara

nuperi ejusdem Scriptoris animadvertio. qui in calce Operis, de condita agens Urbis, ex Varronis sententia accidisse definit anno Per. Jul. 3961, cyclo Solis XIII, Luna IX, quo Pallibus ipsis Sol defecit sed ea defecio (inquit) in Asia tantummodò confecta fuit; non in Italia. quam & Antimachus Teius observavit. Nobis constat nullam eo anno Solis eclipsem accidisse illo in Asia tractu. quod in VIII de Doct. Temp. Somnolentis evicimus. Cum de eclipsi Mullerius affirmet in Examine Temporum; tempus illius confert in Maii Juliano XXVI diem; cum luminaria in gradu essent Tauri XXVI quod & tabula nostra referunt. At Scriptor nuperus rem mirificam narrat: At eclipsem istam incurrisse in diem Juliano Februarii vicefimum septimum. ac Lunam in Scorpione constitutam; Solem verò Pisces ingressum; quomodo apud Solinum reponendum judicat. Amabo quæ istæ astronomia est; Lunam in Scorpione positam, Solem in Piscibus tempore conjunctionis veræ, & eclipsis fuisse? Ut illud omitam, quod latitudinem australem ad novilunium illud accommodat; & inde concludit non in Europa, sed in Asia esse visum deliquium. quasi, cum australis est latitudo, videri eclipsis in Asia possit, & in boreali hemisphærio. Nam apparens latitudo; hoc est vera, parallaxi aucta, australis existit tempore ecliptici illius novilunii. Non potuit igitur toto in boreali hemisphærio, id est citra eclipticam cerni.

Lib. VIII. pag. 474

CAPUT XIV.

Illustratur insignis Euripidis locus ex Tragedia Rheso. in eoque recens hallucinatio convincitur.

Sed piaculo proximum esset illustrem locum ex Euripidis fabula prætermittere, quæ Rhelus inscribitur; in quo depravando nuperus ille Scriptor aliud erroris portentum peperit. Nam & ad commendandam methodum nostram, quæ lib. I tradita est; præclarum id erit specimen: & documentum statuetur Criticis nostris; ne ad Veterum scripta castiganda temerarias, ac præcipites conjecturas adhibeant.

Igitur nocturnorum vigiliam chorus in illo Dramate per noctem excubias agens, notationem temporis adjicit è stellarum ortu, ac situ; quam hic describemus,

Ti... à φουράς; δε δμείδ... Τὸν ἴππον πρῶτος... Διὸς οὐρανῶν, καὶ ἐπιλάμοι... Πλειάδες ἀστήρες... Μία δ' ἀστὴρ ὕψους πρῶτου... Ἐξελθε σὶ μέγαρα, κοῦρων... Ἐξελθε σὶς φουράων... Οὐ λίσσεται ἰαυάδ' αἰγῶν... Ἄς δὲ σὲ πῆρας, ἀός... Cujus est custodia? quis alternat Meam imprimis? Occidit signa; & Septena Pleiades aethera, 1. oriuntur. Medium verò Aquila cæli pervolat. Surgite: quid cunctamini? è stratis. Surgite ad excubias. Non videtis Luna splendorem? Aurora inflat, aurora.

His versibus matutinum tempus indicat, quo imminente Solis ortum Vergiliæ ortu suo prævenit; Aquila culminante; ac commodum emergente Luna. quod in quadrante ultimo contingit. Quisquis Tragediæ illius auctor fuit: (Nam de eo controversia est) tempus affecti veris, vel ineuntis ætatis significare voluit; & ad stellarum positum; cuiusmodi erat etate sua; non ad Trojana tempora, respectum habuit. Sæculo Metonis, quo Euripides floruit, hoc est circa annum per. Jul. 4283. quo bellum Peloponnesiacum coepit, lucida Pleiades erat in gradu Arietis 26, 12; Oriebatur cosmicæ cum ejusdem gradu 19. heliacum verò faciebatur ortum cum Sol erat in gradu Tauri 19, Maii circiter decimoquinto, vel sexto. Nam Sol vero motu Taurum ingressus est anno illo Apr. XXVI, hora post meridiem 5, 57 Athenis. quare XXVII dies

παλιμαίε Ταυρονος Neomeniam habuit. qua cum Thargelionis Attici Neomenia capit anno secundo prime periodi Metonicæ, qui est ille ipse Julianæ periodi 4283. ut ex ejus Diagrammate liquet, quod est in II de Doct. Temp. cap. XIII. Proinde Thargelionis Metonici vicessimo circiter die; ac sub quadrantem ultimum Lunæ; heliacus ortus Pleiadum accidit. Quamobrem Thargelione mense gesta res ponitur ab Euripide; aliquot ante captum Ilium diebus, quod mense illo expugnatum esse Veteres arbitrati sunt. Oriebatur, ut dictum est, lucida Vergiliarum cum gradu Arietis 19. Ascensio ejus obliqua in Attica fuit grad. 11, 47'. Ascendente Pleiade, culminabat gradus Capricorni undecimus circiter. Jam verò ex asterismo Aquilæ ea, quæ est in collo, ultima omnium ad orientem, ascensionem rectam habebat grad. 268, 49', & cum Sagittarii gradu ferè 29 culminabat. Proinde ultra meridianum gradibus aliquot evecta jam erat Aquila, cum Pleiades oriebantur, nimirum circiter tredecim, ac propemodum unius horæ spatio. sed nihilominus cæli πὲ μέσῃ perambulabat.

Veris jam adulti, vel ineuntis ætatis id esse tempus declarat idem poeta, cum paullò post ita loquentem choram introducit.

Καὶ μὲν αἴῳ Σιμόεντι
Ἡρώδιαν κρίτους
Φωνίας ἑμῆς πειλοχόδοτον
Γήρυι παιδοδάκτυλον
Μελωτιὸς ἀηδονίς μέγαρα.

Atqui audio Simoentis
Insidentem cubilia
Cruenta: canit variarum chordarum emulatrice
Voce, proles sua necatrix,
Modulatrix Iulcinola cura.

Pag. 187. Nunc Scriptorem nuperum audiamus. Lib. III, cap. XXII tempus νεμεσίαις illius confert in novam hiemem, ac Posideonem secundum, cujus Neomenia convenit in ultimum Decembris. Novilunium porrò commissum ait tertio die Posideonis, sive secundo Januarii. Quare tempus istud competit extremo Posideoni, adeoque Januario. Eo tempore, inquit, occidit mane Vergiliæ, sive Pleiades. Quod ex Arati Græco interprete probat; qui Athyr mense Vergiliæ ait occasum matutinum facere. Quod autem Aquila tunc cæli media pervolare dicitur, sic intelligit, ut cum sole pariter ab horizonte se efferat. quod idem est, ac si diceret; Sol est in Capricorno. quemadmodum in re non dissimili dixit Cicero,

se pariter cum Sole in luminis auræ Effert.

Nam & Aratus cum Capricorno Aquilam scribit ascendere. Hæc ille, in quibus non plura verba sunt, quam errata; nec ea sanè mediocria. Mane occidere Vergiliæ, id est paullò ante Solis exortum; id verò falsissimum est. Annus Metonis decimus cæpit Julianæ Periodi 4291. Proinde Januarius ille, de quo nuperus Scriptor, sequentem inchoat, 4292. Novilunium incidit Decembris XXX anni 4291, feria 2, hora 15, 6' à media nocte in horizonte Attico, ex Parisinis tabulis, sive potius Decemb. XXXI feria 3. Erat annus Judaicus 3339, cujus Tifri character 3, 19, 89, feria 4, propter Adu, Septembris IV, feria IV, Cyclo Solis Romano VII, littera F. Annus erat embolimaus, utpote Cyclo

Judaico XIV, Romano XVI. Neomeniæ Schebath character 2, 22, 21, feria 3, Decembris XXXI. ut mirum sit novilunium ab auctore nupero conferri in Januarii secundum. Sumatur Januarii XXXIII dies, hoc est Posideon δὲ πρὸς extremus, ut sit quadrans Lunæ quartus, quo manè oriri ante Solem incipit. Anno itaque Per. Jul. 4392, Januarii die XXIII Sol occidit Athenis hora æquabili post meridiem 4, 55'. qui erat arcus semi-diurnus. Descensio ejus obliqua fuit grad. 285, 39'. Obliqua descensio lucida Pleiadum graduum circiter 33, 37'. Differentia 252, 2'. quæ sunt horæ 16, 48'. Ex detractâ de horis 16, 55', quæ à nocte media antecedente ad occasum Solis elapsæ sunt, per canonem XVIII libri primi hujus Operis, relinquunt horam 0, 7' post mediam noctem. Quocirca media nocte, horique septem ante Solis exortum, Pleiades occiderunt. quod sub auroram accidisse ab auctore nupero ponitur.

Nam quòd Arati Scholiasten citat; mira est ἀστρονομία. Athyr enim, non utique Januarius est, sed Novembris; quo Vergiliæ occidisse manè per illa tempora certissimum est: ac sub ipsum adeo hiemis initium, quod ab occasu Pleiadum ab antiquis reperitur. de qua re supra lib. II, cap. IX. ac rursus libro sequente septimo. Januarius autem non initium est hiberni temporis, sed clausula. Jam de Aquila non minus absurda res est. Hanc Euripideus ille locus adstruit sub auroram media cæli permeasse. Ut non summa ipsa cæli spatia, & ab horizonte propè ex æquo distantia significari putemus; certe talem fuisse situm illius sideris oportet, ut discerni oculis potuerit. Nam nisi Aquilam vigil iste cerneret, non eam utique designaret. Atqui sic illius verba nuperus Scriptor accipit; quasi cum Sole in Capricorno pariter ascendisse velit. qui est cosmicus exortus, non apparet. Aquilæ stella, quæ est in collo, quæque totius asterismi ad Capricornum accedebat proximè, et quæ in Sagittarii gradu 29 collocata tum erat, ascensionem habuit obliquam grad. 270, 57'. Ascensio Solis obliqua die XXIII Januarii diluculo, 316, 56', cum esset in gradu Capricorni 28, 23'. Differentia ambarum ascensionum grad. 45, 59', horæ 3, 4'. Totidem horis ante Solem exorta est Aquila. qui neque matutinus ortus; neque cosmicus est. Cum enim duabus vel tribus horis Solem præcedit oriens stella; ortus iste matutinus appellari non debet, ut scribit Tattus Isagoges cap. XXXIX. Hinc etiam apparet, falsò ab auctore nupero scriptum esse, cum Sole in Capricorno sito pariter Aquilam ascendere. Si quidem postrema illius cum gradu Sagittarii XIV circiter emergit. Nec Aratus, qui cum Capricorno ascendere scribit Aquilam, de dodecatemorio, sive Signo cælesti loquitur; quod tum intelligunt, cum Solem dicunt in Capricorno versari. sed de asterismo Hipparchus lib. II, Num. XIII, quod Aratus asserit, oriri cum Capricorno Aquilam, consentaneum esse ait observationibus: & idem tamen Num. XXI Signorum οὐρανῶν explicans, cum Aquila oriente Sagittarii gradus componit quinque, à nono scilicet ad decimum quartum. Non igitur cum dodecatemorio Capricorni per illud tempus ortum faciebat Aquila. Sed hæc nuperi Scriptoris utrumque tolerabilia mihi videntur, præter ejusdem est conjectura super Euripidis posterioribus verbis, in quibus instante aurora cantillantem Iulciniam describit. Etenim de erodio, non de Iulcinia poetam scribere ait; ac verba illius quasi depravata corrigit; tum eam adhibet interpretationem, quæ hand scio an alteri mortalium, quotquot hodie spirant, in mentem venire potuerit. Eam neque confutabo; nec ulterius tam illepido commento patientiæ eruditi lectoris illudam.

DIONYSII
PETAVII
E SOCIETATE JESU,

AD AUCTIONARIUM OPERIS DE DOCTRINA
TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER SEXTUS.

In quo contra Plinianarum ad Solinum Exercitationum Claudii Salmastii varia capita disputatur.

CAPUT I.

Mira Salmastii à seipso dissenso, ejusdemque de seipso judicium.

S CORPIOS narrat vexatos ab hominibus, & interclusos, cum se alicui nequeunt, aculeos in se vertere, ac sese conficere. Sic apidem scribit Epiphianus inopia passus efferat in sua membra scævire, & ea paullatim mandere. atque ita complures in Ægypto, trunco, ac femeso corpore, è templorum fundamentis ait effossas. Similimè fecit in commentariis suis Solinianus Exercitator: qui cum maledictis & conviciis vivos ac mortuos appeteret, ne sibi quidem postremò pepercit ipsi; & ea in se dixit, quibus audire ne ab insensissimis quidem graviora, ac vetiora potuisset. Festiva res, & eruditi lectoris spectaculo non indigna; quæ ut in aliis propemodum incredibilis esset; sic in isto propter talium rerum assiduitatem admirationem habere desit. Ea ut intelligi possit, quæ ad hanc explicandam necessaria sunt, breviter exponam.

Mihi cum Scaligero controversia super Atticis mensibus fuit, ac Mamaetherione præsertim: quem Gaza proximum à Boëdromione, ante Pyanepсионem collocandum censuit, ut esset mensium ordine quartus. Scaliger contra Boëdromioni Pyanepсионem; huic Mamaetherionem subjecit. Ego Gazæ sententiam Scaligerianæ anteponendam esse docui in Epiphianianis Animadvers. ad Har. LI, & lib. I de Doct. temp. cap. X, idque argumentis pluribus ostendi: quæ quantam vim habeant, post paullò declarabitur. At Solinianus Exercitator, cum de mensibus istis forte sermo ei incidisset, repudiata Scaligeri opinione, meam, & Gazæ complexus est, quam his verbis proposuit: Boëdromion, & Mamaetherion menses Attici ita se subsequuntur, ut Romani September, & October. nam Boëdromion circa æquinoctium autumnale, quando oritur arcturus. uno mense ante migrant coturnices, quam grues: illa Boëdromione, qui Septembris respondet; hæ Mamaetherione, qui Octobri. utraque eodem tempore faciunt migrationem ex Ἰουλιῶν. In his & Gazæ, ac mihi pariter assentitur; & idem, quo tui sumus, argumentum adjicit, de coturnicibus, quæ uno mense ante grues volare cernuntur.

At idem postea, velut Ciræo poculo repente mutatus, patronum illius ipsius, quam defenderat, opinionis stolidum, barbarum, imperitum, quidvis denique

ob id unum, quòd ita sentiret, appellavit. Verba illius. Plin. Hoc unico argumento revundi potest stolidum peccus pecoris Exercit. N. qui Pyanepсионem mensem subjungit Mamaetherioni, Mamaetherionem Boëdromioni. quæ Gaza fuit sententia jam pridem à Scaligero explosa. Sed odium Scaligeri barbara menti insitum, & litterarum omnium imperitia rationi, scientiæque prævaluerunt apud eum. P. 735. D.

Hæc illius totidem verba sunt: quæ si inter se componantur, apparet cujusmodi se hominem & esse judicaverit, & haberi à nobis, appellarique voluerit. Atque hoc eo nobis persuadere facilius debet, quòd neque certius cum nosse quisquam illo ipso potest; nec amore in eundem, ac voluntate esse majore, quam in se est ipse: ut quæ tam ingenuè de se profiteretur, ea quam sunt ab odio procul, ac malevolentia; tam ex veritate profecta videantur.

Sed sit illud vel stuporis, vel inconstantia. At sententiam mutavit. at agnovit errorem. novi denique vidit aliquid, quod eum contrariam in partem traheret. Nihil ab eo dico argumentorum esse productum, quod non à Scaligero primum allatum, à me verò confutatum, explicatimque sit. nihil item propemodum, quod non illi ipsi, cujus adhibetur gratia, evertendæ potius opinioni, quam adjuvandæ ac persuadendæ servire debeat.

Quoniam igitur de Atticorum mensium ordine, ac situ primum ille pro me, deinde contra me sentire voluit; ego miro quodam pugnandi genere, non tam meam adversus illum, quam ipsius contra se causam, opinionemque defendam. ac vetiora se prius sensitisse mecum, iisdem ferè, quibus ad oppugnandum usus est, argumentis faciam ut ipsemet agnoscat. Sed antè pauca de Attico anno, ac mensibus præfari necesse est, sine quibus ea capi à tardioribus, quæ dicenda sunt; vel sic exponi ut intelligantur, facile nequeunt.

CAPUT II.

Disputatur contra Salmastium de ordine anni Attici sitique mensium. ac primum astronomica rationes ad dirimendam controversiam utiles explicantur.

VETERE Græciæ memoria, præsertim in Attica, civilis annus ut ad Lunæ cursum institutus, ita minime ad eam exactè comparatus fuit. Nam ut rudes erant disciplinæ cælestis homines, menstrua Lunæ spatia tricenis diebus, annum illanem CCLX metiebantur. quod ex Herodoto, Gemino, Cenforino, lib. I de